Ipsa autem hostia sacra missa vocari potest, quasi transmissa est. Primum scilicet a patre nobis ut nobiscum esset,
postea a nobis patri ut apud patrem pro nobis intercedat. Primum a patre nobis per incarnati-
onem, postea patri a nobis per passionem. Modo in sacramento primum a patre nobis per sanctificationem
qua nobiscum esse incipit. Postea patri a nobis per oblationem qua pro nobis intercedit. Vel mis-
sa dicta est sicut quidam putant ab emittendo, quia quando incipere sacerdos incipit consecrare cor-
pus domini cathecumini foras emittuntur. Lecto enim evangelio diaconus clamat
si quis cathecuminus adest exeat foras. Cathecumini sacris misteriis interesse
non debent, quoniam nondum baptizati sunt et christianis committuntur. Sic de quibusdam qui cathecumini et
non renatorum typum gerebant scriptum est: Ipse autem ihesus non credebat se illis. VI. pars

De sacramentis quae ad exercitationem instituta sunt quomodo omnia sanctificantur per verbum dei.

Sunt quaedam sacramenta in ecclesia in quibus etsi principaliter
salus non constet, tamen salus ex eis augetur in quantum devotio exercetur. Haec licet in presenti
omnia enumerari non possunt, quaedam tamen intermittere non oportet pro exemplo reliquorum. Ex
his quaedam sacramentis alia constant in rebus, qualia sunt aquae aspersionis, susceptio cinerum, benedictio
ramorum et cereorum, et cetera talia. Alia constant in factis, qualia sunt signaculum cru-
cis, vel insufflatio exorcizationis, expansio manuum, incurvatio genuum, et alia
eiusmodi. Alia in dictis constant, sicut est invocatio trinitatis in voce, et quaecumque in hunc modum. Haec
autem omnia per verbum dei sanctificantur, sive per prolationem verborum divina virtute invo-
cata sanctificentur, sive sola fide exhibita per eandem divinam virtutem sanctifi-
cationis effectum accipiant. Ubi enim vera fides est, verbum dei deesse non potest, quia ipsum verbum fide
concipitur et per fidem operatur. Omnia inquit apostolus quaecumque facitis in nomine domini facite. Non
autem convenientius est ut intelligamus apostolum praecepisse quod in omnibus operibus nostris verba profer-
remus, sed ut in omnibus operibus nostris fidem rectam teneremus. Ille enim in nomine domini omnia quae facit operatur
qui per rectam fidem agnoscit se nec sine illo aliquid boni posse facere, et si aliquid fe-
cerit laudabile ex eo illum gloriari non debere. Qui fideliter in omni opere suo et ante
faciendum ab illo auxilium quaerit et postquam fecerit quicquid operatum est bonum ad laudem et gloriam
eius convertit. Sic ergo omnia quae facimus sola fide et sine prolatione verborum in nomine domini re-
cte fieri dicuntur; sic et quaedam sacramenta sine prolatione per solam fidem sanctificantur. Nam et ipsa
verba aliquando sacramenta sunt quae tamen ex aliis verbis sanctificationem non accipiunt. Nullum